

sequi debeat? Quid illa species visibilis, nonne in omni eo aere, qui interiacet ab obiecto usque ad oculum inque illa eius aeris superficie, quae pupillam tangit, fitque visio per aeris specie affecti contactum? Nisi vel vacuum inter eam superficiem et pupillam  
5 admittamus vel speciem non in toto eo aere esse? Talem omnium sensum contactum, si antiqui et Democritus putarunt, cur culpandi fuerunt, cum rem dixerint quam Aristoteles fatetur? Aristotelici docent? Natura contendit?

Haec tribus physiologis celeberrimis obiecta ab Aristotele  
10 crimina theologica partim, partim naturalia sunt, quibus vel ex Aristotele ipso vel illorum fragmentis vel aliorum auctorum testimoniis dissolvere potuimus. Quae vero a nobis non sunt in discussionem<sup>ix</sup> vocata, ea sunt quae et Aristotelis et ipsorum philosophorum vel aliorum scriptorum testimoniis caruerunt.  
15 Quae tamen omnia, uti ex discussis atque ex discutiendis post hac nobis persuadere possumus, eadem lance Aristotelem perpendisse, rationi videtur consentaneum.

---

<sup>ix</sup> Auct. corr. ex discussionum